60. Parallelogrammum dicitur quadrilaterum, cujus latera bis bina, parallela sunt.

61. Rectangulum dicitur parallelogrāmum rectangulū.

62. Quadratum dicitur quadrilaterum ordinatum.

63. Rhombus dicitur parallelogrammum æquilaterum obliquangulum.

64. Rhomboides dicitur parallelogrammum obliquangulum oblongum.

65. Parallelogrammum oblongum dicitur, cujus latus AB longius est contermino latere BC.

66. Trapezium dicitur quadrilaterum ABCD, cujus duo tantùm latera, nimirum AB, CD, invicem parallela, sed inæqualia sunt.

67. Isosceles trapezium dicitur, cujus latera non parallela AD, BC, inter se æquantur.

68. Trapezium obliquum sive Scalenum dicitur, cujus latera non parallela sunt inter se inæqualia.

69. In unoquoq; triangulo angulus lateri, & latus angulo opponi dicitur: itemq; latus angulo subtensum dicitur, si latus anguli crus non fuerit.

70. In unoquoq; triangulo angulus lateri, & latus angulo adjacere dicitur, si latus anguli crus fuerit.

71. In triangulo rectāgulo latus angulo recto subtensum hypotenusa dicitur; reliqua recto adjacentia dnr. catheti.

72. Quilibet trianguli apex vertex trianguli dicitur, si existo apice perpendiculum in oppositum latus ductum sit.

73 Altitudo trianguli dicitur perpendiculum (recta perpendicularis) ex vertice in basin, sive terminatam, sive productam, cadens.

74. Basis trianguli dicitur, latus vertici oppositum.

75. In quadrilatero quocunq; latera duo inter se opposita dicuntur, quæ contermina non sunt; sive quæ nullum punctum commune habent.

76. In